



**R. P. Fr. Ioannis Poncii, Corcagia-Hiberni, Ordinis Ff.
Minorvm, Sacræ Theologiæ Lectoris Ivbilati, Olim in
Collegio Romano S. Isidori Primarij Professoris;
Philosophiæ Ad Mentem Scoti Cvrsvs Integer**

Poncius, Joannes

Lugduni, 1659

Dispytatio XIX. De duabus conditionibus requisitis, vt aliquid moueatur.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95688](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95688)

ulterius habere maiorem magnitudinē in statu infirmitatis, sed non nisi vsque ad certam periodum; & similiter discurrendum de termino paruitatis. Vnde in forma respondeo distinguendo antecedens: si esset in termino magnitudinis, quoad statum connaturalem tantum, concedo antecedens, & nego consequentiam; si esset in termino magnitudinis quoad statum connaturalem, & statum etiam infirmitatis superuenientis, nego antecedens.

74. *Dicitur*, si homo existens in termino magnitudinis maioris, quam posset habere quoad utrumque statum, desineret per introductionē nouæ quantitatis, aut magnitudinis, deberet desinere in tempore, quod est contra omnes: sed deberet desinere per introductionē nouæ quantitatis, si haberet terminum magnitudinis, ultra quam crescere non posset: ergo non habet talem terminum.

Respondeo negando sequelam maioris: desineret enim in instanti extrinseco istius temporis, quo deberet acquiri noua quantitas ita, ut verum esset dicere: in hoc instanti est, & immediate post non erit.

Confirmatur hoc: quia certum est quod homo desinat esse de facto, propter introductionem dispositionū contrariarum suis dispositionibus necessariis, quæ dispositiones producuntur in tempore non minus, quam quantitas: ergo vel saluatur desitio hominis in tempore, & sic poterit saluari in casu obiectionis; vel non obstante productione temporaria dispositionum illarum non fiet desitio hominis in tempore: & eodem modo potest dici in casu nostro; vnde quidquid dicunt aduersarij in hoc casu, nos poterimus dicere in casu ab ipsis obiecto. Et hæc sufficiant de libro sexto physicorum.



LIBER VII.

PHYSICORVM.

DE duabus difficultatibus, quas hoc Libro tractat Philosophus, agit etiam libro sequenti; vnde non desuere qui hunc librum ipsius esse dubitauere. At eum ipsi ascribunt *Simplicius*, *Auroras* & ceteri commentatores, & certe stylus ac doctrina correspondet, nec insuetum est eadem bis repeti in diuersis partibus.



DISPUTATIO XIX.

DE DVABVS CONDITIONIBVS
requisitis, ut aliquid moueatur.

IN hac disputatione quidquid ad duas difficultates hoc libro contentas spectat, examinabo: quarum prima est, utrum omne quod mouetur, ab alio realiter distincto moueatur. Secunda: utrum agens debeat simul esse cum passio.

QVÆSTIO I.

Utrum quidquid mouetur, ab alio moueatur.

Propositio hic in dubium reuocata, videtur esse expressa sententia Aristotelis hoc libro, quem sic intelligit *D. Thomas*, & plures Thomistæ, quos citant, & sequuntur *Complutenses* hic.

Oppositam tamen sententiam, nempe aliquid à se ipso moueri posse, tenet *Scotus* in 2. disput. 2. questione 10. quem præter suos sequuntur plures recentiores & nominatim *Aueris* quæst. 14. sect. 5. & *Arriaga* dis. 3. de generatione sect. 10.

Pro solutione difficultatis aduertendum, triplicem esse motum, de quo hæc difficultas examinari potest. Primus est intentionalis, quo scilicet potentia vitales mouentur ad actus vitales. Secundus emanatiuus, ut ita dicam, ille scilicet, quo mouetur subiectum ad formam, quæ emanat ab ipso, & non producitur. Tertius est physicus, & realis, quo subiectum mouetur ad formam, quæ nec emanat ab ipso, nec producitur intentionaliter, sed vere & physice.

Ut autem certa ab incertis separaretur suppono 1. quod quidquid mouetur, ab alio mouetur in eo sensu, ut nihil possit mouere se absque dependentia ab aliquo alio distincto realiter, & ut idem non possit mouere se tanquam causa totalis. Hæc resolutio est communis, & certa, cuius ratio est, quia nihil potest moueri nisi creatura, sed nulla creatura potest mouere se, aut vilo modo agere absque dependentia à creatore: creator autem distinguitur realiter ab omni creatura: ergo quidquid mouetur, ab alio mouetur in hoc sensu; & hoc ipsum est quod aliis verbis dici solet nihil moueri à se ipso tanquam à causa totali.

2. *Suppono secundo*, quod aliquid potest mouere seipsum, tanquam causa efficiens partialis secunda. Hæc resolutio est etiam communis & patet manifeste, quia intellectus sic mouet seipsum partialiter ad intellectionem, ad quam producendum concurrunt partialiter cum obiecto aut specie obiecti.

Suppono tertio, nullam causam naturalem secundam posse mouere se de nouo absque aliqua dependentia ab aliquo extrinseco, naturaliter loquendo, quia si absque dependentia ab aliquo extrinseco haberet mouere se, quandoquidem naturaliter agat, deberet æque producere effectum ante, ac tum cum producit ipsum de nouo, ut patet.

Confirmatur: quia quando graue descendit de nouo deorsum, tollitur impedimentum aliquod talis motus, quale non erat antea ablatum; & quando aqua producit in se frigus de nouo, remouentur agentia calefacientia, quæ antea erant applicata: & denique quando subiectum producit in se relationem intrinsecus aduenientem de nouo, ponitur de nouo terminus aut aliqua conditio noua, quæ ante non fuit posita.

Ex quibus patet, sensum controuersie esse, an aliquid possit à se moueri, tanquam à causa totali secunda absque dependentia à concursu effectiuo alterius causæ secundæ concurrentis cum ipso immediate ad efficiendā formam ad quam mouetur, supposito solum concursu vniuersali Dei. Fortassis etiam esse posset controuersia cum Thomistis, an posset aliquid mouere se motu physico tanquam causa partialis secunda: quauis enim id non possent negere de motu intentionali, propter exemplum intellectus; tamen forte id negarent de motu physico: sed si ostendatur posse aliquid mouere se motu physico, tanquam causa effectiua totalis secunda, à fortiori sequeretur quod poterit mouere se, tanquam causa partialis.

CONCLUSIO.

3. *Potest aliquid mouere seipsum, tanquam causa effectiua totalis secunda, non solum motu emanatiuo, & intentionali, sed etiam physico.* Hæc est iuxta secundam sententiam præmissam, & quoad vltimam partem est contra primam Thomistarum sententiam.

*Probat*ur primo, quoad motum emanatiuum; talis est motus, quo subiectum mouet se ad relationem, quæ ab ipso emanat posito termino: sed illa relatio non habet aliam causam emanatiuam, quam illud subiectum, neque enim terminus habet alium influxum in illam, quam conditionis sine qua non, ut communiter asseritur: ergo aliquid potest mouere seipsum, tanquam causa totalis motu emanatiuo.

*Probat*ur secundo, quoad motum intentionalem: quia, ut suppono ex dicendis in libris de anima, & communiter tenetur, voluntas est causa totalis efficiens volitionis: ergo mouet se motu intentionali tanquam causa totalis secunda, motus enim ad volitionem est motus intentionalis, ut omnes supponunt.

*Probat*ur tertio, quoad motum realem physicum, quo

Quidquid mouetur ab alio mouetur in eo sensu, ut nihil possit mouere se tanquam causa totalis.

Aliquid potest mouere seipsum, tanquam causa efficiens partialis, etc.

ad quem est potissimum controversia: Talis est motus localis physicus, & successiuus, & motus frige factiuus successiuus: sed graue tanquam causa totalis efficiens secunda mouet se motu locali successiuo, quando aufertur impedimentum; & aqua, vt totalis causa, mouet se motu frige factiuo successiuo, postquam est calefacta semel, & remouetur agentia calefacientia, vt patet quotidiana experientia; ergo aliquid potest mouere se motu reali physico, tanquam causa totalis efficiens.

Probatur minor: quia nulla causa secunda potest assignari, à qua proueniunt isti motus: ergo proueniunt ab istis causis, tanquam ab adequatis causis secundis. Probatur antecedens: quia seculis quibuscunque causis actiuis secundis præter causas auferentis impedimenta, essent isti motus: sed causæ auferentes impedimenta non habent influxum aliquem posituum in illos motus, tū quia non sunt nisi causæ per accidens eorum, vt omnes facerent etiam aduersarij; tum quia etiam si destruerentur illæ causæ, & impedimenta, adhuc perseverarent illi motus: tum denique quia si remoueretur agentia calefacientia ab aliis corporibus aptis quidem ad recipiendum, sed non exigentibus frigus connaturaliter, non mouerentur ista corpora ad frigus: ergo signum est quod remouentia causas calefacientes non habeant producere frigus.

4 Dices primo, frigus produci in aqua à residuo frigoris remanente in ipsa vel aëre.

Contra: quia vel aliquando adeo calefit, vt nihil remaneat frigoris in ipsa, vel si quid maneat, tam exiguum est, vt non possit producere tantum frigoris, quantum postea producit. Quæ eadē ratio probat aërem non posse producere tantum frigoris, quia ipsemet non est tã frigidus, & quamuis non elset frigidus vlla ratione, modo non elset calidus, frigeret aqua.

Dices secundo cum Complutensibus ac aliis Thomistis, grauiā, & leuiā (& idem est de reliquis, quæ videtur mouere se motu physico) moueri à generante, tanquam à causa principali, & grauitate ac leuitate vel tanquam à principio actiuo proximo, sed instrumentali tamen, vel tanquam à principio passiuo disponente mobile, vt melius moueatur à generante.

Contra primo: quia si grauitas & leuitas sit vllō modo principium actiuum talis motus, gratis dicitur quod nō sit principium actiuū principale, & tam facile dici posset quod intellectus non sit principium principale intellectōnis, nec volitionis.

Contra secundo: quia absurdissimū videtur dicere quod aliquid sit causa principalis efficiens alicuius effectus, qui producitur, quando illa causa non existit in rerū natura, & cuius existentia actualis est omnino impertinens ad illam productionem: sed generans potest existere realiter, quando grauiā mouentur deorsum, & aqua ad frigus; & si existat, potest esse longissime distans, & existentia ipsius est prorsus impertinens ad productionē quæ ea non existente esset: ergo non debet dici causa principalis.

5 Confirmatur: quia causa instrumentalis non agit nisi mota à principali aut simul coagere causa principali, & in hoc distinguitur potissimū à causa principali: sed grauiā mouetur à sua grauitate, si sit principium actiuū, nō existente, & consequenter non agente generante: ergo grauitas nequit esse causa instrumentalis, sed si sit causa vlla ratione, debet esse causa principalis. Quod sit autē causa aliqua ratione, & quod non sit principium passiuū disponentis, vt probabile reputant Complutenses cum Soroto, lane lo, Telesio, & aliis, patet manifeste, quia impossibile est esse aliquem effectum absque aliqua causa tum realiter influente, quando est effectus: sed generās secundū se immediate realiter non influat, cum possit tū non existere, ergo debet esse aliqua causa alia tū influēs saltem instrumentaliter: sed nulla assignari potest in motu grauium præter grauitatem, & virtutem motiuā corporis grauis, nec in aqua præter virtutē frige factiuā identificantē ipsius substantia: ergo illa virtus aut grauitas nō potest esse tantum principium passiuū disponentis: & sane nihil absurdius excogitari potest, quam quod aliquid dis-

poneret aliud ad hoc, vt moueatur ab eo quod non est.

6 Dices posse causam instrumentalem agere non agente principali, quando non est causa instrumentalis coniuncta; licet non posset quando esset coniuncta: Sed virtus motiuā grauis, & frige factiuā aquæ est causa instrumentalis non coniuncta generanti, vt pote ab ipso separabilis: ergo potest agere non agente generante.

Contra: quia si instrumentum non coniunctum posset agere non agente causa principali, id etiam poterit dici de instrumento coniuncto; & si coniunctum non possit agere, non agente causa principali, nec poterit agere, ea nō agente, instrumentum non coniunctum, quia prorsus est eadem ratio de ipsis, & gratis asseritur vlla disparitas quantum ad hoc, qualis assignari nequit.

Confirmatur tota hæc impugnatio: quia gratissime, & absque vlla prorsus necessitate recurritur in his productionibus ad generans, & eque posset ad ipsum recurri in omnibus causarum secundarum productionibus, quod absurdū fatebuntur ipsi aduersarij. Probatur antecedens: quia vel ideo recurritur ad generans, tanquam causam principalem, quia communicauit hic mobilibus virtutē instrumentalem siue actiuā siue passiuā, vel quia repugnat idē moueri à se tanquam à causa principali, & quia alia causā principalis assignari nequit, propterea necessario ad generans sit recursus: sed neutrum ex his capitibus sufficit: non primum, quia etiam generans communicauit agentibus quibuscunque omnē virtutem quam habent, & consequenter ipsi tanquam causæ principali deberet omnis actio ab illis virtutibus procedens attribui. Non secundum, tum quia non magis implicat aliquid mouere se motu physico, quam mouere aliud, neque enim maiorem implicantiā vnus quam alterius assignare possunt aduersarij: tum quia ipsimet aduersarij fatentur aliquid posse mouere se motu intentionali, tanquam causa adequata: unde ex hoc

Probatur conclusio secunda, quoad eandem partem, & confirmatur iam dicta. Aliquid potest mouere se, tanquam causa totalis secunda motu intentionali: ergo & motu reali. Probatur consequentia: tum quia nō potest assignari sufficiens disparitas, nec alterū altero difficilius est tum quia, quod idem nō possit mouere seipsum motu physico, tanquam causa principalis, nō oritur ex ratione mouentis, & mobilis talis, sed ex ratione mouentis, & mobilis vt sic: sed non oritur ex ratione mobilis, & mouētis vt sic; alias idem nequireret se mouere motu intentionali: ergo. Probatur antecedens: quia voluntas potest mouere se ad volitionem, tanquam causa totalis.

Respondent Complutenses voluntatem non moueri à se, tanquam à causa principali ad aliquā volitionem, nisi vt afficitur alia volitione anteriori: primam autem volitionem determinatiuā ipsius ad alias volitiones in se producendas, esse volitionem finis, quæ volitio in ipsa producit ab Authore naturæ: & similiter dicunt intellectū moueri ab authore naturæ ad quamcumque cognitionem, ad quam non mouetur ab alio.

Sed contra primo, quia gratissime hic etiam recurritur ad authorem naturæ, cū ipsamet voluntas habeat sufficentē virtutē ad volendum bonum sibi proportionatum ac propositū.

Deinde intentio finis, quam posset habere voluntas hic & nunc, posset esse mala: ergo non est adscribenda productioni ipsius authori naturæ, tanquam causæ principali, sed ipsimet voluntati.

Confirmatur hoc: quia saltem ipsamet voluntas, & intellectus etiam habent virtutem, saltem partialem effectiuā mouendi se intentionaliter: sed quidquid inconuenientis sequeretur ex eo, quod posset mouere se tanquam causa totalis effectiuā, sequeretur etiam ex eo, quod mouerent se partialiter: ergo vt vnum, ita etiam concedi debet alterum.

8 Obiicit primo Philosophum, qui hic expresse non solum asserit, sed probat, idem à seipso nō posse moueri. Et lib. 8. tex. 33. expresse ait grauiā, & leuiā non à seipsis, sed à generante, vel à tollente impedimentum moueri: ergo nostra conclusio est contra Philosophum.

Respondet primo, fundamenta nostræ conclusionis, quæ

quantum est ex parte rationis esse tam manifesta, & aduersa sententia tam leuia, ut quauis Philosophus expresse oppositum teneret, potius ab eo recedendum esset, quam nostra conclusio deferenda.

Respondeo secundum, quando Philosophus ait, idem a seipso moueri non posse, intelligendum ipsum vel sic, ut non possit aliquid mouere se de nouo ad aliquid, ad quod non se poterat mouere ante, absque dependentia ab aliquo extrinseco; & hoc sane est certum, sed non contra conclusionem: vel intelligi potest sic, ut velit quod nihil possit moueri a se tanquam a causa totali independente ab omni causa distincta; & hoc etiam supra posuimus esse verum, sed non facit ad propositum: vel denique intelligendus est velle tantum quod nihil possit se mouere, quin moueatur ab alio prius quantum ad recipiendum virtutem motuum ab illo alio, & hoc est non minus certum sed non contra conclusionem.

9 Quando autem Philosophus negat, grauiam, & leuiam moueri a se, sed a generante aut tollente impedimenta, tantum vult quod grauiam non mouerent se, nisi vel ideo quod tollatur impedimentum motus, vel ideo, quia a generante producantur in loco, qui cum non sit ipsis naturalis, nec ponitur in eo obstaculum motus, ad locum naturalem propterea debent necessario moueri; unde si essent in loco naturali primo producta, & relinquerentur ibi, non mouerentur; & si non essent in loco naturali, sed poneretur tamen impedimentum, quo minus possent mouere se ad locum naturalem, adhuc non mouerentur: quare motus ipsorum debet adscribi aut tollenti impedimentum aut generanti ipsa extra locum naturalem, non tamen tanquam principis influentibus physice & efficienter in illum motum, sed tanquam conditionibus sine quibus non. Contraponit autem grauiam & leuiam contra animata, quod grauiam & leuiam, si essent in loco naturali, non mouerentur, mouerentur autem animata, quauis essent in statu naturali: & hinc optime deducit quod motus grauium & leuium oriatur vel ex generante vel ex mouente prohibens in sensu explicato iam; motus autem animalium ex neutro oritur in eodem sensu, sed ex seipsis, quandoquidem a loco naturali suo possint se mouere. Adde, ex hac autoritate, si quid valeret, argui posse contra *Complutensem*, quia ex ea Philosophus concedit animata moueri sine dependentia a causa extrinseca: ergo male dicunt Compluteneses in productione prima volitionis recurrendum esse ad causam extrinsecam.

10 Dicitur Philosophus secundo de generatione, & corruptione ait, grauitatem & leuitatem non esse actiuas: ergo ab ipsis non prouenit motus actiue.

Respondeo Philosophum, solum velle, quod non sint actiuae in ordine ad producendas alias similes formas, sicut est calor & frigus; quod non facit ad propositum.

Dicitur si idem posset mouere seipsum in sensu nostro, non posse colligi primum motorem: sed Philosophus ex eo quod idem non possit mouere se, colligit primum motorem: ergo negat idem moueri a se in sensu nostro.

Respondeo negando sequelam: quia ex eo, quod non posset mouere seipsum tanquam causa totalis, & tanquam independens ab ullo extrinseco, siue independentia esset tanquam a conditione, aut tanquam a concausa, optime posset colligi primus motor, ut suo loco patebit. Quod si non colligeret Philosophus primum motorem, nisi ex eo, quod idem non posset mouere seipsum in sensu nostro, profecto pessime colligeret primum motorem. Unde vel ex hoc ipso potest, quod non debeat intelligi Philosophus, ut volunt aduersarij, ut ab hac nota sit immunis.

11 Obijciunt secundo fundamentum Philosophi: nihil idem est in actu & potentia respectu eiusdem; sed quod mouetur est in potentia, & quod mouet, est in actu: ergo nihil est respectu eiusdem formae mouens & motum.

Respondeo distinguendo maiorem; nihil potest esse in potentia formali, prout potentia formalis dicitur ultra potentiam susceptiuam, & productiuam, carentiam actus, & in actu simul; concedo maiorem: nihil potest esse in potentia virtuali, id est habere virtutem productiuam aut susceptiuam actus, & simul in actu formali, id est, simul ha-

bere actum formalem, nego maiorem: similiter distinguo maiorem: sed quod mouetur est in potentia ad illud ad quod mouetur, prout potentia dicitur talem carentiam, pro illo instanti aut tempore quo mouetur; & quod mouet est in actu, id est, habet actum oppositum isti carentiae, nego maiorem: est in potentia, prout potentia non dicitur talem carentiam & in actu, concedo maiorem, & nego consequentiam. Quod si hoc argumentum aliquid valeret, probaret, quod idem non posset mouere se tanquam causa partialis actiua, quod absurdissimum est.

12 Dices ex Complutenribus: si aliquid mobile esse in potentia virtuali ad formam, ad quam esset mobile, sequeretur quod haberet simul potentiam formalem, & potentiam virtualem: ex eo enim, quod esset mobile ad formam, posset eam recipere, & consequenter haberet potentiam formalem ad ipsam, & ex alio, capite supponitur, quod habet potentiam virtualem si posset se mouere: sed non potest esse in utraque potentia simul: ergo, &c.

Probat minor primo, quia Philosophus in omnibus, quae habent potentiam formalem ad aliquid, recurrit ad aliud extrinsecum, tanquam ad motorem: quod non deberet facere, si illud ipsum simul cum potentia formali posset habere potentiam virtualem.

Probat secundo, quia ideo Philosophus potissimum negat, aliquid posse esse simul in actu, & potentia, quia nequit esse simul perfectum, & imperfectum: sed hoc magis sequeretur ex eo, quod haberet simul potentiam formalem, & virtualem: nam esse in actu virtuali est esse in actu perfectiori modo, quam esse in actu formali: ergo sicut sequitur ex eo, quod esset in potentia formali, & actu formali, quod esset perfectum, & imperfectum, idem sequitur ex eo, quod esset in potentia formali, & virtuali, a fortiori.

Probat tertio eadem minor: quia quod habet potentiam formalem ad aliquam formam, debet illam posse recipere: sed quod est in potentia virtuali ad formam, non debet eam posse recipere, quia continet ipsam longe perfectiori modo quam si esset in actu formali; unde Sol continens virtualiter calorem, nequit calorem habere formaliter, nec consequenter potest habere potentiam formalem in ordine ad illum recipiendum.

Confirmatur, quia saltem agentia naturalia nequeunt simul habere potentiam virtualem, & formalem; quod sufficit ad impugnandam solutionem nostram; nam agens naturale non impeditum habens virtutem productiuam formae, debet ipsam necessariò producere pro quocumque instanti: ergo nequit esse unquam sine illa, & consequenter nunquam erit in potentia formali: ergo potentia formalis & virtualis in eodem sunt impossibiles.

13 Respondeo negando maiorem: ad cuius primam probationem respondeo ex supradictis, Philosophum recurrere ad extrinsecam, non quasi intrinsecam illa semper debeat esse causa per se motus, sed quia vel debeat esse tales cause, vel conditiones sine quibus non, quod non facit ad rem.

Ad secundam probationem respondeo negando maiorem: ad cuius probationem dico quod aliquid potest esse in actu virtuali, seu continere illud virtualiter duplici modo: primo sic, ut possit efficere sine ipso formaliter tantum quantum posset formaliter; & in hoc sensu intellectus non est in actu virtuali respectu intellectus, nec voluntas respectu volitionis, nec substantia aquae respectu frigoris. Alio modo, quatenus potest illud producere, quauis sine ipso formaliter non posset efficere quidquid posset cum ipso; & in hoc sensu intellectus continet intellectum, voluntas volitionem, aqua frigus. Itaque continere actum virtualiter primo modo est continere ipsum perfectius quam si contineret ipsum formaliter, & propterea si esset in potentia & in tali actu virtuali, esset in statu perfecto, & imperfecto, quod implicaret, nec sic se habent, quae mouent se ad formam. Continere autem formam secundo modo est non continere ipsam perfectius, quam si haberet ipsam formaliter, sic quod non sit ipsi perfectius habere illam formaliter, quam non habere: unde habendo formam in actu virtuali hoc modo, & habendo simul potentiam formalem ad ipsam, non sequitur quod sit

fit in statu perfecto, & imperfecto, loquendo de statibus oppositis. In casu autem nostro, quæ mouent se ad aliquam formam, non continent illam formam priori modo, sed posteriori tantum.

14 Hinc respondetur ad tertiam probationem, distinguendo minorem: quod continet ipsam virtualiter posteriori modo, negatur: quod continet ipsam priori modo, transeat. Sol autem continet calorem priori modo, quia potest in alio producere calorem sine calore formali, non minus, quam si haberet calorem formalem: calor autem formalis non inuaret ipsum nisi ad producendum calorem in alio: unde non esset perfectius Soli habere calorem formalem, quam non habere: sed potius imperfectius, cum quia esset superfluum, cum quia argueret fortassis in sole corruptibilitatem aut aliquam aliam imperfectionem.

Adde ad utramque hanc probationem, potentiam virtualem non excludere potentiam formalem respectu eiusdem formæ, nisi quando esset imperfectionis in habente potentiam virtualem, habere actum formalem, nec sequitur in alio casu, quod habendo potentiam virtualem, & formalem esset in statu perfecto, & imperfecto impossibile: per quod ruit totaliter utraque illa probatio minoris, ad quam iam respondi.

Ad confirmationem respondeo negando antecedens cum prima consequentia huius probationis, quia potest, poni impedimentum quo minus producat illum: & licet posito impedimento non possit mouere se, nisi eo ablato, atque adeo habeat dependentiam ab extrinseco, non tamen dependentiam tanquam à concausa concurrente ad effectum per influxum posituum terminatum ad ipsum effectum, sed tanquam à remouente impedimentum.

Dices secundo, contra prædictam nostram responsionem ad fundamentum Philosophi. Philosophus usus est illa probatione in ordine ad probandum dependentiam omnis mobilis à motore extrinseco, ut inde probaret primum motorem: sed si aliquid posset esse in potentia virtuali ad formam, ad quam posset moueri, non posset colligi talis dependentia: ergo signum est quod Philosophus non potuerit admittere aliquod mobile, esse in tali potentia.

Respondeo negando minorem, quia quandoquidem motus naturales non liberi præsupponantur motibus liberis, quia voluntas non tendit in incognitum, & omnis motus naturalis habet dependentiam ab aliquo extrinseco impedimento, quod posset esse & abesse, & cuius absentia, & præsentia non est in potentia mobilis, quod mouetur naturaliter; hinc necessario deueniri debet ad aliquem primum motorem mouentem, & non motum. Quod si non esset huiusmodi dependentia mobilis ad aliquod extrinsecum, quandoquid haberet virtutem motuam sui, sequeretur, quod necessario moueret se, & consequenter, quod non esset vnquam in potentia formali ad actum, & sic quod esset in potentia formali, & non esset in potentia formali; quod cum sit absurdum, sequitur euidenter dependentia ad extrinsecum motorem, ut in Theologia fufius: & hic sane mihi videtur verus sensus ac mens Philosophi, non ille, quem attribuunt ipsi aduersarij, tanto ingenio indignus.

16 Obiicit tertio. Quidquid ita mouetur, ut ad quietem alterius quiescat, non mouetur per se primo à se, sed ab alio: sed sic mouetur quidquid motu physico mouetur. Probatur maior: quia si moueretur à se primo, non deberet habere dependentiam ab alio, & consequenter quamuis aliud illud quiesceret, non deberet quiescere. Probatur etiam minor: quia quod mouetur motu physico, debet esse diuisibile in plures partes. Tunc sic: dato quod vna illarum partium quiescat, vel mouetur totum secundum se totum, vel non mouetur: primum implicat, quia supponitur pars quiescere: si secundum dicatur, habetur intentum, quia motus ille totius dependet à motu partis, & sic est ab alio.

Confirmatur ex D. Thoma: aliquid mouere seipsum per se primo, est esse sibi ipsi per se primo causa sui motus: sed nullum mobile est huiusmodi: ergo debet necessario moueri ab alio. Probatur minor: quia id, cui primo conuenit

motus, non debet in suo moueri pendere à motu alterius: sed omne mobile, cum sit indiuisibile, pendet in esse totius à partibus, & in motu suo à motibus partium: ergo non potest per se primo esse sibi ipsi causa motus.

Hæc obiectio, ac confirmatio nullius prorsus sunt momenti, non solum, quia supponunt falsum, nempe quod mouetur motu physico (id est motu reali etiam successiuo, sic enim hic loquimur de motu physico, quia capimus motum physicum, prout opponitur motui intentionali & emanatio ac etiam instantaneo) esse diuisibile; cuius oppositum patet de Angelis, ac puncto etiam, quod sic moueri posse supra ostendimus: sed etiam quia est facilissima solutio, ut iam patebit.

17 Respondetur ergo, distinguendo maiorem: si quiescat ob quietem alterius, ex eo, quod supposita illa quiete, mobile non haberet virtutem adequatam mouendi se propter defectum alterius causæ quiescentis, quæ concurrere debet: transeat maior: si non quiescat ob illam rationem ad quietem alterius, sed ex eo, quod motus alterius esset conditio sine qua non, concedo maiorem. Distinguo etiam minorem: omne quod mouetur, sic mouetur, ut quiescat ad quietem alterius, ob primam rationem iam in distinctione maioris assignatam, nego minorem; ob secundam, transeat minor, & nego consequentiam.

Ad probationem autem minoris, quæ videtur probare ipsam in se su negato, dico quod quiescente parte quiesceret totum: sed nego inde sequi aliquid contra nos; quando enim dicimus aliquid posse moueri à se ipso, & non necessario debere per se moueri ab alio, non loquimur de alio, quod sit pars inclusa in illo ipso, quod mouetur, sed de alio, quod sit distinctum ab illo, & non sit pars ipsius: in hoc autem sensu non probatur hic quod mobile, quamuis diuisibile, moueri debeat ab alio. Plures alias solutiones ac instantias contra conclusionem adducunt Complutenses ex Suario & aliis, quæ & bonæ sunt, nec ab ipsis bene ad propositum soluuntur: sufficeret autem abunde præsens responsio, per quam etiam patet.

Ad confirmationem, cuius minorem nego, & distinguo eius probationem: non debet dependere à motu alterius, quod non sit pars constitutiva sui ipsius, concedo: quod sit, nego. Nam quemadmodum in esse dependet ab omni sua parte, ita nihil ipsi debet per se primo competere, nisi cum tali dependentia. Et sane si hæc ratio aliquid valeret, probaret quod non posset aliquid mobile per se primo moueri ab ipso Deo, quia non potest moueri à Deo, nisi cum dependentia à suis partibus; quod adeo verum est, ut si quiesceret vlla pars ipsius, repugnaret ipsi summet totum moueri quoad se totum.

18 Obiicit quarto, ex Complutensibus iisdem specialiter id improbandum quod diximus de grauib, & lenib. Genitor alicuius grauis & leuis in instanti generationis tribuit ipsis suum proprium esse: ergo debet etiam tribuere ipsis quidquid ad naturalem eorum dispositionem in eo instanti spectat; alioquin in necessariis deficeret: sed esse in loco ipsis connaturali spectat ad eorum naturalem dispositionem: ergo hoc tribuendum est ipsis à generante, & consequenter motus, quo postea eò perueniunt, ipsi adscribendus est, quia ab eodem principio, à quo oritur aliquis terminus, debet esse motus ad illum, & quia alias deficeret generans in necessariis, non tribuens generato motum, qui est via ad acquirendum locum naturalem quem deberet ipsi tribuere.

Confirmatur: emanatio passionum tribuitur generanti, siue emanent in instanti generationis, siue postea: ergo & motus grauium ac leuium ad locum suum naturalem.

Respondetur negari posse consequentiam, quia posset impediri à dando illi illam perfectionem, & deficere in necessariis ob tale impedimentum: sicut enim generans hominem aliquando non generat ipsum cum omni perfectione connaturali ac substantiali debita, ut apparet in iis, qui nascuntur cum defectu alicuius membri: ita non est necessarium ut generans tribuat omnem dispositionem naturalem rei genitæ, nec est necesse ut non deficiat quantum ad hoc in aliquibus necessariis: & sane magis necessarium est homini habere suos oculos ac manus, quam lapidi esse in centro

centro terre, aut in quocumque alio loco suo naturali modo in loco non naturali non adessent causæ corruptæ illi n.

19 *Respondeo secundo*, distinguendo consequens: debet dari iis quidquid ad naturalem dispositionem spectat vel immediate, vel mediate, hoc est quatenus dat iplis virtutem qua mediante ipsamet possunt ablati impedimenti, reducere se ad illud statum, concedo consequentiam, immediate, nego consequentiam: sufficit enim ut non deficiat in necessariis quod det iplis illud vel immediate, vel mediate in sensu iam explicato: nec est necesse ut det illi illud immediate: & concessio subsumpto, similiter distinguo consequentiam immediate, nego immediate vel mediate, concedo consequentiam. Et eodem modo distinguo consequentiam: motus ille erit à generante immediate, nego mediate, transeat.

Confirmatur hæc doctrina: quia non magis spectat ad complementum lapidis esse in loco naturali, quam hominis intelligere, & velle, & augere se, & generare etiam alium hominem: sed hæc actiones non attribuuntur per se immediate generanti hominem, sed ipsimet homini tanquam principio quod, & solum mediate & quasi per accidens generanti: ergo similiter motus grauium, & leuium ad loca sua non debet immediate provenire à generante tanquam principio quod, sed solum mediate, & remote: quo sensu nemo negat illos motus ab ipso provenire.

Ad confirmationem, supposito quod passiones distinguantur realiter à suo subiecto, ut supponitur in confirmatione, de quo iam non curo, distinguo antecedens immediate & proxime, nego, mediate & remote transeat: & similiter distinguo consequens.

20 *Obiicitur quinto ex Ioan. à S. Thoma* ad idem in grauiibus, & leuib. quia talia, partes sunt eiusdem rationis, nec est alia mouens aliam, & alia mota ab alia: quia æque primo omnes mouentur: quia non est prior ratio cur vna diceretur alteram mouere, quam e contra: sed quod mouetur à se debet habere partes diuersæ rationis, loquendo de motu physico non intentionali, & vna debet alteram mouere, ut patet ex Philosopho lib. 8. cap. 5. ergo nequeunt mouere se.

Respondeo negando minorem: nec id voluit Philosophus de alio motu quam de motu viuientium seu animantium, aut simili motu.

QVÆSTIO II.

Verum agens & passum debeant esse simul, seu verum possit dari actio in distans.

21 *S*ensus questionis est, an aliqua causa possit producere aliquem effectum in loco à se distanti, seu aliquam formam in subiecto, inter quod & causam sit localis distantia.

Aduertendum autem variis modis posse considerari causam agere in distans. *Primo* si agat in distans immediate: agendo tamen etiam in medium interiacens. *Secundo*, si ageret in distans tantum mediate, quatenus scilicet ageret immediate in medium, & medium ageret in illud quod esset ab agente distans. *Tertio*, si ageret in distans agendo simul in medium actione eiusdem rationis cum actione, qua ageret in distans. *Quarto*, si ageret in distans agendo in medium, sed actione diuersæ rationis ab actione, qua ageret in distans. *Quinto*, si ageret in distans agendo in medium actione diuersæ rationis, sed per se conducente ad actionem in distans. *Sexto*, si ageret in distans agendo in medium actione, quæ per se non conduceret ad actionem in distans. *Septimo*, si ageret in distans nullam actionem habendo in medio.

CONCLUSIO I.

22 *Agens infinitum non debet ex ratione agentis esse in passum, aut secundum se, aut secundum suam virtutem, quin possit agere in passum distans, etiam si nihil ageret in medio.* Est Scotus in 1. dist. 37. cum suis, & Nominatilibus, quos sequuntur Vasquez 1. p. a. 8. disp. 28. Aueris 9. 14. Physica sect. 7. & multi alij contra D. Thomam 1. p. quæst. 8. a. 1. & lib. 3. contra gentes c. 68. Suarez disp. met.

sect. Conimb. Physic. cap. 2. q. 1. Rur. ibidem, & Thomistas communiter, qui, propterea colligunt presentiam Dei vbique, ex operatione sua vbique.

Probatur primo, quia si per impossibile Deus non esset ubique, sed solum deberet esse in Cælo ut multi Philosophi existimant, haberet quæ infinitam virtutem agendi: potuisset agere in quacumque parte huius mundi, etiam si non ageret in medio, hoc enim esset maioris perfectionis in ipso, ut etiam ipse D. Thomas quodl. 1. a. 2. licet parum consequenter, fatetur: ergo ex ratione causæ formaliter non oritur, quod non possit agere in distans, etiam si non ageret in medio. Dixi ex ratione causæ vel agentis, quia ex alio capite Deus non potest agere in distans, scilicet quia habet immensitatem, ratione cuius nihil potest esse ipsi distans.

Probatur secundo: nulla prorsus est ratio, ob quam virtus infinita non possit agere in distans, & præterea posse ita agere conduceret ad maiorem perfectionem eius: ergo non debet asseri quod non possit sic agere. Consequentiam admittunt aduersarij. Antecedens probatur soluendo rationes ab ipsis assignatas.

23 *Prima est Capreoli, Sancy, & Suarez*, quod actus, & potentia debeant esse simul; sed agens, & passum se habent per modum actus, & potentie, ergo debent esse simul, quando reducuntur ad actum secundum.

Respondeo distinguendo maiorem: actus formalis, & potentia susceptiva, transeat (licet etiam id non sit verum, nam, visio est actus formalis constituens parietem in esse visibili, tamen non est simul loco cum ipso) actus effectiuus, & potentia susceptiva termini producti per talem actum: nego maiorem.

Et si dicas eandem esse rationem de actu formali, & effectiuo: *Respondeo* id esse falsum, quia actus formalis communicat se intine, & immediate; actus vero effectiuus non communicat se immediate, sed mediante aliquo alio, quod communicat illi.

Secunda ratio est Molina: sicut mobile non potest transire à loco in locum nisi transeundo per medium: ita agens non potest transmittere actionem suam in distans, nisi transmittendo ipsam per medium.

Respondeo primo, hanc rationem esse ad oppositum quia Deus de potentia absoluta potest transmittere corpus de loco ad locum sine eo quod transeat per medium: posset enim rem hic existentem in instanti ponere in Indiis: ergo ex hac similitudine potius sequitur Deum posse agere in distans.

24 *Respondeo secundo* negando paritatem, quia eadem numero res, quæ est in vno loco, dum mouetur localiter ponitur in altero loco; non est autem eadē numero actio quæ est in medio, & in passo distanti, sed alia omnino distincta, quæ sicut secundum aduersarios producit in illo passo, licet non ponatur in medio, posita tamen alia actione in medio, ita de Dei potentia absoluta, imo naturaliter etiam, ut dicemus conclusionem sequenti, posset poni in passo, etiam si nulla actio poneretur in medio.

Tertia ratio est, quia agens debet esse simul tempore cum passo: ergo & simul loco.

Respondeo negando consequentiam, quia si non essent simul tempore, alterum non deberet existere realiter, & consequenter non posset dari actio: sed si non essent simul loco, posset existere realiter, & consequenter vnum in altero aliquid producere posset.

Obiicitur præterea multa loca Scripturæ, & Patrum ex quibus colligitur immensitas Dei ab operatione eius vbique, quæ collectio non valeret iuxta nostram conclusionem.

Respondeo, ex illis locis non colligi immensitatem Dei ab eius operatione, consequentia formali, sed connaturali tantum, ut suffragari solet in Theologia.

CONCLUSIO II.

25 *Agens creatum agit immediate in distans, & non tantum mediate.* Hæc est communior contra Valentiam 1. p. q. 8. a. 1. p. 1. Raimundum diff. 7. q. 1. a. 7.

Probatur primo, quia corpora cælestia producant mineralia

D d

Quot
modi
possit
ali
quis
agere
in
distans
non
esse
necesse
dum
nunc
est.

in visceribus terræ, & ignis producit ignem in stupā à se distanti: nec dici potest quod mineralia illa aut ignis immediate producantur ab illa virtute transfusa ab his causis, quia virtus quacunque transfusa ab ipsis est accidens, & nullum accidens potest immediate producere substantiā absque saltem concursu immediato substantiæ, ut probatum est *disp. 9. num. 10.* Et sane mirum est *Auerſum* putare hac ratione meliorem esse, quam ipse adducit ex experientia effectuum, qui producuntur à corporibus celestibus in locis distans, quales non producuntur in medio; nam eque bene potest responderi illos effectus produci à virtute transfusa per totum mundum, & non immediate ab illis corporibus; ac responderetur ad nostram experientiam; nec est inconueniens quod tot virtutes transfundantur à corporibus illis per totum medium, quot sunt requiritæ ad illos effectus, qui producuntur in locis distantibus, modo possint provenire ab illis virtutibus.

26. *Probat*ur secundo, experientia alia: quia si quis applicet se igni absque alio corpore interposito, præter aerem, maior est sentit calorem, quam sentiret, si interponeretur aliud aliquod corpus: sed huius non est alia ratio, quam quod ignis per suum calorem immediate agit in distans: ergo. Probatur minor: quia si iste maior calor proveniret immediate à parte viciniore aeris, deberet causari non obstante interiectione istius alterius corporis, neque enim calor in parte illa vicina productus debet desinere statim, ac interponitur illud aliud corpus: ergo posset producere non obstante illa interpositione tantum caloris quantum ante, & consequenter, si ante produxit totum calorem in corpore, produceret aut conservaret illum post interpositionem alterius corporis, saltem ad modicum tempus.

Verum hæc experientia mihi non sufficit; quia negari potest: si minor, & antecedens suæ probationis: quemadmodum enim calor productus in corpore applicato igni desinit quoad magnam partem, interiecto alio corpore: inter ipsum & ignem, ita calor productus in parte illa vicina aeris posset desinere statim quoad magnam partem eodem corpore interiecto.

27. *Probat*ur tertio experientia, qua constat, quod calor & lumen producantur in intensiori gradu in parte remotiori, quam in parte viciniore ad agens principale, verbi gratia ad Solem: nam illa maior intensio nequit totaliter provenire à parte viciniore in qua non est tanta intensio: absurdum enim esset quod minus intensum posset reddere aliquid magis intensum: ergo debet provenire immediate ab agente principali remoto, verbi gratia, à Sole.

Confirmatur, quia nihil prorsus impedit, quo minus possit immediate agere in distans quodcumque contentum intra sphaeram actiuitatis, ut patebit soluendo fundamenta adversariorum infra post conclusionem quintam proponenda.

CONCLUSIO III.

Agens potest agere in distans, non agendo in medio actione eiusdem rationis cum actione, qua agit in distans. Hæc est communissima, & *Probat*ur ex iam dictis: quia quando Sol producit substantias mineralium & alias in partibus his inferioribus, non producit in toto medio tales substantias: ergo non agit in medium simili actione, qua agit in distans.

Confirmatur: quia quando Sol producit calorem sub celo Lunæ, non producit in partibus cæli interiacentibus inter ipsum & partes illas inferiores calorem, quia cæli sunt incapaces caloris, ut omnes supponunt.

CONCLUSIO IV.

28. *Quoties agens, si impeditum esset ab actione in medium, non posset agere in distans, actio in medium, siue sit diversæ rationis, siue eiusdem, est per se requisita ad actionem in distans, taliter, ut quod producitur per actionem in medium sit vel dispositio subiecti distantis ad recipiendam formam, que producitur in ipso ab agente in distans, vel principium productum eiusdem formæ.*

*Probat*ur hæc conclusio, quæ videtur esse contra quosdam Scotistas: quia si non esset hoc modo necessaria,

quando impediretur, non deberet impediri actio in distans.

Confirmatur: quia quotiescunque agens habet virtutem producendi diversos effectus, nisi unus effectus sit dispositio ad alterum, aut principium ipsis mediatum aut immediatum, non debent habere tam necessariam connexionem, quin unus possit produci, non productio altero, & consequenter quamvis impediretur agens ab uno producendo, non deberet impediri à productione alterius: ergo potens producere effectum in medio, & in subiecto distanti, quamvis impediatur à producendo effectum in medio non debet impediri ab effectu producendo in subiecto distanti, nisi effectus productus in medio sit causa dispositiva subiecti distantis, aut compositiva formæ, quæ in ipso producitur.

29. *Dices*, effectum productum in medio esse conditionem, sine qua non posset produci effectus in remoto, & hoc ex natura agentis, quæ limitatur ad hoc, ut non possit producere effectum in remoto, nisi producat in medio, quæ natura colligitur à posteriori ex eo, quod impeditur effectus productione in medio, non produatur effectus in remoto.

Contra: quia dicere quod aliquid sit conditio sine qua non ad aliquem effectum, nisi munus aliquod habeat conducent ad talem effectum, est omnino præter rationem, cur enim esset talis conditio? quod si approximatio non applicaret agens passio, & intellectio non esset propositio obiecti ad voluntatem, profecto non deberet nec approximatio dici conditio sine qua non ad agendum in passum, nec intellectio ad voluntatem.

Dices actionem in medio esse quandam approximationem agentis ad passum remotum.

Contra quia posita actione in medio, non redditur magis vicinum passio quam ante, & quam esset sine ipsa, nec potest explicari qualem aliam rationem approximationis haberet.

Ex hac conclusione, patet quod species visibiles productæ ab obiecto visibili in medio, vel sint causæ totales partiales productivæ speciei visibilis in oculo, quia posito impedimento quo minus producantur in medio, non possunt produci in oculo, nec potest dici quod requirantur in medio ad disponendum oculum, quia oculus non requirit aliquam dispositionem ad recipiendum speciem visibilem.

*Pate*t etiam quod calor productus ab agente calefactivo in medio, concurrat partialiter vel totaliter ad productionem caloris in loco remoto: & idem est de luce, ac similibus, à paritate rationis.

CONCLUSIO V.

30. *Non repugnat agens creatum agere in distans, non agendo illo modo in medium, an tamen de facto incertum, aliquod agens creatum id faciat, incertum est, præsertim si loquatur de causa totali, & non de parte quacunque istius agens creatum de facto in distans.*

Prima pars huius conclusionis est *Scoti* in 1. d. 37. cum omnibus suis, quos sequitur *V. Sques* 1. p. disp. 28. *Auerſa* quest. 14. sect. 7. *Arriaga* hic contra *Thomistas* communiter citatos in prima conclusione.

Secunda vero pars videtur esse contra *Scotistas*, qui de facto dari actionem in distans sine actione in medium asserunt, & probant variis experientiis, quod refert & sequitur *Camerarius* parte 2. quest. 7.

*Probat*ur prima pars: tum quia nulla potest assignari in hoc repugnantia, tum quia ex dictis de facto datur actio in distans, & quamvis de facto habeat dependentiam ab actione in medium, illa dependentia suppleri potest à Deo: est enim dependentia in genere causæ effectivæ solummodo, saltem in multis calibus (quidquid sit de omnibus) qualem dependentiam Deum supplere posse omnes admittunt.

Confirmatur, quia experientia, quibus probatur non dari actionem in distans, ad summum id probant solummodo de creaturis de facto existentibus: sed potest à Deo creari creatura diversæ rationis, de qua non esset necesse, quod eadem esset quantum ad hoc ratio, ac de creaturis actu

Quando actio in medium est requisita ad actionem in distans.

Non potest ab obiecto visibili in medio, vel sint causæ totales partiales productivæ speciei visibilis in oculo, quia posito impedimento quo minus producantur in medio, non possunt produci in oculo, nec potest dici quod requirantur in medio ad disponendum oculum, quia oculus non requirit aliquam dispositionem ad recipiendum speciem visibilem.

Non est repugnantia, tum quia ex dictis de facto datur actio in distans, & quamvis de facto habeat dependentiam ab actione in medium, illa dependentia suppleri potest à Deo: est enim dependentia in genere causæ effectivæ solummodo, saltem in multis calibus (quidquid sit de omnibus) qualem dependentiam Deum supplere posse omnes admittunt.

actu existentibus: ergo non est negandum quin possit aliqua creatura agere in distans, nullo modo agendo in medium.

Probatur secunda pars: quia experientia, quæ communiter afferuntur ad probandam actionem in distans, & ex quibus solis potest probari, non sufficiunt ad eam probandam: ergo non est certum quod detur. Ex alia autem parte non est ulla experientia nec ratio, quæ vniuersaliter probat eam non dari: ergo non est certum, quin detur, & consequenter absolute incertum reputari debet, detur-ne necne. Addidi autem huic parti conclusionis illam limitationem, præsertim si loquamur de causa totali, & non de parte ipsius, quia partes remotiores ignis magis cōcurrunt ad producendum calorem in longio: i distantia quam alias produceretur, & tamē non agunt in alias partes intermedias ignis. simile enim non agit in simile vt communiter tenetur, & suo loco probabitur quo argumento vtuntur Scotistæ ad probandum de facto dari actionem in distans.

Confirmatur vtraque pars huius conclusionis solutione argumentorum.

31 *Obiicitur* contra primam partem: sequeretur agens creatum esse infinitæ virtutis: quia si ageret in aliqua distantia non agendo in medium, ageret in quacunque; atque adeo in infinita.

Respondetur primo, hanc rationem d. frueri se ipsam: nam vel requiritur maior virtus ad agendum in magna distantia, quam in parua, vel non requiritur: si requiritur maior, ergo non sequitur, quod si posset agens agere in aliqua distantia, quod posset in quacunque, quia ex eo, quod conueniat ipsi minor virtus, non sequitur continere ipsi maiorem. Si non requiritur maior, ergo ex eo, quod posset agēs agere in infinita distantia, non sequeretur quod esset infinitæ virtutis, quia non deberet esse maioris virtutis, quā requireretur ad agendum in distantia: ex hoc autem non sequeretur, quod esset infinitæ virtutis.

Respondetur secundo, absolute negando sequelam, quia agēs finitum habet finitam spheram actiuitatis. vlt. a quā nequit agere, & sane, sicut agēdo in medium, potest agere in certam distantiam tantummodo: ita etiam non agēdo in medium, potest tantummodo agere in intra certam spheram.

32 *Obiicitur secundo ex Computensibus*: necesse est virtutem actiuam esse coniunctam actioni: ergo & effectui, quia actio se tenet ex parte effectus. *Probatur* antecedens primo experientia omni quæ de facto habet effectum; *secundo*, quia causalitas est id, quo causa attingit effectum; impossibile autem est, id, quo attingit causa effectum, esse separatum à causa: *tertio* quia virtus actiua, & principium quo debent esse coniuncta causæ; ergo à fortiori causalitas: *quarto* quia actio, & causalitas est datio seu communicatio quia causa dat entitatem effectui: ergo debet esse coniuncta causæ, & effectui.

Respondetur primo, si actio sit in agente, vt Scotistæ tepemus, concedendo antecedens, & negando consequentiam cum sua probatione: & nulla sone est difficultas in concipiendo, quomodo aliquid per actionem in se subiectatam possit producere effectum in loco distanti, imo de facto ita contingit, licet præsupposita actione in medium. Si vero actio se teneat ex parte effectus, & non subiectetur in agente,

Respondetur secundo, negando antecedens, ad cuius primam probationem nego vllam experientiam esse, quæ concludat actionem aliquam saltem partialem, quæ producat effectus, non posse esse loco distantem à virtute causatiua.

Ad secundam probationem nego minorem: ad tertiam & quartam nego consequentiam.

33 *Obiicitur contra secundam partem* ad probandum quod detur de facto actio in distans sine actione in mediū: Magnes trahit ad se ferrū distans, Torpedo mortificat manū piscatoris distantem, Basiliscus visu interimit homines distantes: nec videtur quod aliquid producat ab his causis in medio, cum non sit ulla experientia effectus vllius producti in medio: ergo de facto datur actio in distans sine actione in medium.

Respondetur in omnibus his experientijs aliquid produci in medio, idque meo iudicio euidenter colligi ex eo, quod si interponatur copus aliud densum, ac opacum inter magnetem, & ferrum non traheretur ferrum; & si manus piscatoris esset in eadē distantia, in qua mortificatur à torpedine, siue eo quod tangeret virgā piscatoriā, & quod torpedo non tangeret filum piscatoriū virgæ appensum, non mortificaretur; & si corpora opaca interponerentur inter Basiliscum & homines, profecto non interficerentur. Sed huius sane nulla alia ratio reddi potest, nisi quod agentia illa sint limitata ad non agendum in distans, quin agant in medium.

Dicitur, Corpus interpositum impedire positue, quo minus actio detur in distans.

Contra: quia non potest impedire actionem positue, nisi per hoc, quod retardet aut debilitet virtutem causæ, vel per hoc quod non sit capax actionis ab illo. Sed certum est corpus interpositum inter magnetem, & ferrum, aut hominem, & Basiliscum, nihil agere in Magnetem aut Basiliscum; ergo ex hoc capite non impedit actionem: ergo impedit ipsam quatenus est incapax actionis, & consequenter vt habeatur actio distans, debet haberi actio in medio.

34 *Melior experientia* contra conclusionem est acus nauticæ, quæ fictu magnetis ita disponitur, vt à stella polari distans non obstante quorumcunque corporū interpositione, moueatur ad se, & detinetur in certo situ. *Alia similis experientia* est de ijs, qui in quacunque distantia sentiunt se moueri interius quando mouentur aliqui amici aut cognati.

Respondetur tamen etiam ad primā ex his, posse dici quod agat stella polaris per totum aerem vsque ad acum nauticæ, & inde fortassis si poneretur acus illa in loco tā occulto, in quem aer exterior non posset peruenire, non moueretur.

Ad secundam posset dici, quod quandoquidem nō moueantur omnes in similibus occasionibus, nec ille idem semper, illa cōmotio attribui potius deberet Angulo bono aut malo, quā alijs causis. Fateor tamen, exemplum acus nauticæ si trahatur à stella polari, vt communius asseritur, reddere incertum, an detur de facto actio in distans. Ad quod etiam facit alia experientia de metallis in visceribus terræ productis, ad quæ loca incertum est, an transmittantur qualitates aliquæ occultæ per totum medium.

Obiicitur vltimo ad probandum quod non detur actio in distans: propterea natura abhorret à vacuo, quia non posset actio transfundi per medium: ergo signum est quod non detur huiusmodi actio saltem de facto.

Respondetur, negando antecedens: quamuis enim daretur aliquod vacuum terminatum, adhuc posset actio transfundi per medium planum: nempe per superficiem, & corpora circumscriptiua illud vacuum absque actione in distans. Deinde quamuis vacuum impediret actionem, & propterea natura ab ipso abhorreret, tamen inde non sequeretur, quin aliqua agentia de facto agerent in distans quamuis sequeretur quod aliqua non agerent.



LIBER VII. PHYSICORVM.



Vt in hoc Libro tractat Philosophus de aternitate mundi ac motus, de primo motore, ac conditionibus eius, comodus tractabuntur partim in libri de Cælo & Mundo, & partim in Theologia ac Metaphysica. Quare hic solum agendum de motu propriorum, quod vnica disputatione satis commode fieri potest.